



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Non omnes perfectos ad unionem mysticam vocari; & quos Deus vocat, non continuò ad summam sui contemplationem aut fruitionem admittere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

ita si prius cum Mose, calceamenta de pedibus detraxeris; hoc est, si ad exemplar IESU Christi crucifixi, diligenter te in studio propriae abnegationis exercueris, si omnes carnales & terrenos affectus exueris; ut sic ad secretam Dei visionem admissus, coram igne illo consumente, puris vestigijs & mundo corde possis assistere. Quanquam neque ei qui divinitatem ita de propinquo contempletur, deponendam omnem passionis Christi memoriam, satis indicet species ipsa rubi, in quo sese Deus singulariter spectandum præbuit. Quid enim est rubus ardens in monte, nisi Dei filius spinis obsitus, & plagis confectus, præ amore moriens in cruce? aut quid aliud fuit tota vita & passio Salvatoris, nisi incensus ardor amoris, in rubo perpetui doloris?

CAPUT IV.

Etiam ijs qui perfecti sint, passionis Christi memoriam, aut devotam circa Crucifixum occupationem non esse omit- tendam.

§. I.

Non omnes perfectos ad unionem mysticam vocari: & quos Deus vocat, non continuo ad summam sui contem- plationem aut fruitionem admittere.

HÆc consideratio non unam continet nostri pronuntia- ti rationem.

In primis enim, (ut prædiximus, & observat Blossius aliique Magistri spirituales, & tradit etiam nominatim S. Bernardus) non omnes, etiam qui perfectionem assecuti vi- dean-

*Serm. 31.
in Cant.*

deantur hinc invitatur Deus ad illam sui familiaritatem intimam, sed eam reservat alteri vitæ: ubi fideles illi Dei amici, eò perfectius beatiusque Deo fruuntur, quò magis in vita exerciti probati que fuerint, & quò majori patientiâ, demissione, resignatione animi, in quemvis eventum atque occursum, divinæ se subjecerint voluntati.

Paucos videlicet assumit Iesus, quos secum ducat in montem excelsum seorsum, ad arcanam magnitudinis & gloriæ suæ contemplationem, Sed omnes invitatur ad jugum Calvariæ, ad spectaculum atque consortium doloris & contemptus sui, ad illam probrosam atque cruentam, speciosam formam præ filijs hominum, in virum dolorum, in vermem & opprobrium hominum, in transfigurationem. Dicebat enim (ut disertè S. Lucas) *ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me: utique ad montem Calvariæ, quo nos ipse anteivit bajulans crucem.* Luc. 9.

Prius illud suavius fortassis: at nobis plerumque posterius illud conducibilius est: ut proinde minùs consultò, vel leviter gustatâ divinæ contemplationis dulcedine, continud exclamemus cum Petro: *Domine, bonum est nos hinc esse; cum potiùs nobis (nisi ad se nos Deus potentiùs trahat atque evocet) alibi scilicet tabernacula figenda sint: hoc est, (ut in loco cum S. Bonaventura dicemus) in plagis Christi crucifixi, atque potissimùm in corde dilecti nostri vulnerati.*

Deinde, ut Deus tibi gustum aliquem subinde tribuat intime suæ præsentia, & indicia præbeat futuræ aliquando majoris familiaritatis: non idcirco repente ad summa quæque te ingeres, sed veluti priùs, circa sacram Christi Humanitatem exercebere, donec manifestius fiat, quid Deus in te denique molliatur,

Nimi-

Nimirum velut in naturæ, ita & in gratiæ operibus, ad summa non nisi per media pervenitur. Multis gradibus ascenditur in templum Domini constructum in monte Moria; id est, divinæ visionis seu contemplationis. Atque istuc cum evaseris, diu multumque occupandus es circa altare holocaustorum; jugulandi nempe omnes irracionales affectus, detrahendæ pelles, seu veteris hominis exuvia; quidquid in te carnale & animale est, sacro illo igne absumendum; priusquam accedas ad altare thymiamatis, ubi jam sinè ferro & sanguinè, solis odorum vaporibus, hoc est amore puro, & liberi spiritûs ac tranquillæ mentis ardoribus, Deo litetur.

Serm. 3.
in Cant.

Ep. 4. ad
Sever.

Prius cum Magdalena rigandi lacrymis pedes Domini, & unguento ungenti, quàm cum Sponsa oris osculum affectandum; monente graviter S. Bernardo: non temere asurgendum ad os serenissimi Sponsi, sed ad pedes Domini jacendum, dum ad altiora invitetur. Et vetustius est S. Paulini monitum: *Pedibus Christi oscula casta figamus, ut mereamur à pedibus in caput surgere.* Quapropter subdit eo loco S. Bernardus: *Nolo repente fieri summus, paulatim proficere volo.* Et subinde: *Longus (inquit) saltus & arduus de pede ad os.* Illud nimirum subindicans, etiam postquam diutius ad pedes Domini, in contritione cordis & pœnitentiæ luctu, jacuerimus, non continuo nobis aspirandû esse ad summum illud quodcumque est [ut ipse ait] *summæ dignationis & miræ suavitatis osculum*: sed intermedijs virtutis actibus & pietatis, operibus [donec nos Deus ad altiora evocaverit] cum patientia persistendum.

Cujus rei specimen habemus in B. Catharina Genuesi: quam tamen etiam penè infantem mirabiliter Deus per viam perfectionis deducere cœpisset, non tamen voluit, nisi quibusdam quasi gradibus ad amoris mystici perfectionem ascendere, & à complexu pedum Salvatoris, ad oris divini
bea-

beatum osculum pervenire. Nam, uti pluribus in eius vita est proditum, postquam interiori Christi Domini crucem bajulantis, & sanguine undique manantis aspectu, ad Deum efficaciter conversa est; visa est sibi principio constitui ad Christi servatoris pedes sanctissimos, ad quos anni circiter spatium consistens, miris à Deo luminibus illustrabatur. Exinde altius in Crucifixum elevata, & secretas quasdam in eo divini amoris vias recognoscens (quod tres ipsos annos tenuit) dolore pariter atque amore consumebatur. Tum verò ad Christi pectus admissa, conspexit in illo sacratissimum cor Crucifixi, quod ei omnino ignitum apparebat, ita ut & ipsa ab eo videretur accendi. Postremò post plures hisce in studijs exactos annos, dulcissimo denique ac suavissimo Iesu Christi osculo dignata (quo mystica & suprema adhesio, ac transformatio in ipsum Deum significatur) in ipsam abyssum Divinitatis immergi atque absorberi visa est; ita ut seipsam in illa perdens, dicere posset, cum Apostolo: *Vivo autem jam non ego, &c.* His illa gradibus ad intimam illam cum ipso Deo adhesionem, & nudi ac puri amoris perfectionem evecta est; sensim videlicet proficiens, & ipso progressu in sacris Iesu Christi membris opportunas sibi commorationes, & tanquam stationes inveniens

Quæ tamen à nobis ita dicuntur; nolim tamen quicquam in eum sensum accipiat, quasi ignorem, varias atque multiplices esse vias modosque divinæ sapientiæ; aut tanquam non possit velique aliquando Deus, extra consuetum suæ providentiæ ordinem, aliquem repente ad perfectum amorem & mysticam (quam vocant) cum divino spiritu unionem adducere; sicut scriptum est: *Facile est in oculis Dei, subito honestare pauperem*: sed tantum quòd viam Sanctorum regiam, certam, atque securam demonstramus; quam (uti patebit proximo capite) etiam ij secuti sint, qui

E

in

in carne mortali tanquam Seraphini amore arserunt, & ad summum gradum divinæ contemplationis pervenerunt.

§. 2.

Actum intima contemplationis, nec perpetuum, nec diuturnum esse posse.

NEque omittendum videtur, quod non parùm facit ad rem præsentem: quos Dei bonitas illo perfectæ contemplationis dono dignatur, eos non assiduè in illo lumine divini vultûs ambulare, aut in illud intrare quoties aut quamdiu libuerit. *Quis enim* (inquit S. Bernardus) *non dico continuè, sed vel aliquamdiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur?* Nempe spiritus, uti ubi vult spirat, ita quando vult, & quantum vult. Et licet nonnullis Sanctorum concessum fuisse sciamus; ut objectâ sibi qualibet rerum divinarum specie, & ad minimum quasi divinæ gratiæ attractum, confestim raperentur in Deum; alijs autem, ut, cum clauso ostio cordis, & compressis omnibus animi sui motibus, sese ad orandum in Dei conspectu componerent (ut olim Elisæo contingebat, ad citharæ harmoniam, irruente in illum spiritu Domini) illico divina paterentur: neque tamen in illis vehementior hîc divinorum sensus consuêrat, aut omnino poterat, esse perpetuus; Vt propterea quandoque Deum impensius rogarent, ut illam subtraheret cœlestis gratiæ divinæque dulcedinis copiam, quod ei continendæ impares sentirent angustias cordis sui. Quò spectat & illud Gilleberti Abbatis: *Anima mea liquefacta est, deficiens à comprehensione, & non sufficiens ex vehementi & violenta dulcedine, persistere & morari in admiratione.* Atque istud quoque quod modò dixi, paucorum est. fit enim plerumque, ut (quod sermone quodam suspirans agebat S. Bernardus) divinæ illius contemplationis ac frui-

Serm. 51.
in Cant.

Serm. 44.
in Cant.

Serm. 23.
in Cant.